

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4963

**Auteur(s) :** Rouen (official)

**Bénéficiaire(s) :** Robert le Maçon, de Pont-de-l'Arche [particulier]

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1277, 1 juin

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Mathieu Painsieu et Mathilde, sa femme, ratifient la vente faite par eux à Robert le Maçon de plusieurs héritages à Alisay.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° CCXCVIII, p. 304-305.

Texte établi d'après a

Omnibus hec visuris, officialis Rothomagensis, sede vacante, salutem in Domino. Noveritis quod in nostra presencia constitutus Matheus dictus Panisdei et Matildis, ejus uxor, de parrochia de Aliseyo tunc temporis, ut dicebat, unanimi assensu et voluntate communi, recognoverunt se vendidisse et omnino dimisisse magistro Roberto Lathomo, de Ponte Arche, quoddam masagium cum edificiis suprapositis seu in eodem existentibus, et unam peciam terre, sitam in parrochia de Aliseyo, apud Rouville, ut dicebat, quod masagium situm est inter terram predicti magistri, ex utraque parte, prout se extendit in longum et in latum, a vico per ante usque ad terram predicti magistri retro ; pecia terre sita est inter terram predicti magistri, ex utraque parte, prout se extendit in longum et in latum, a semita ortorum usque ad terram Symonis du Crues, pro undecim libris turonensium, de quibus predicti Matheus et Matildis, ejus uxor, coram nobis se tenuerunt plenarie pro pagatis, renunciantes exceptioni non numerate peccunie, non solute, non habite et non recepte : tenendum, habendum et jure hereditario imperpetuum possidendum predicto magistro et ejus heredibus predictum masagium et dictam peciam terre, cum dote quam Emmelina de Altaribus tenet de predictis masagio et pecia terre, post decessum dicte Emmeline..... pacifice et quiete, absque reclamacione et revocatione predictorum Mathei et ejus uxoris et ipsorum heredum super hoc de cetero faciendis. Tenentur autem et tenebuntur predicti Matheus et Matildis et eorum heredes predicto magistro et ejus heredibus predictum masagium..... dotem quociens accidere contigerit contra omnes garantizare et deliberare, vel alibi in propria hereditate ipsorum, ubicumque fuerit, valore ad valorem, excambiare, salvo tamen jure capitalium dominorum, se et heredes suos, et omnia bona sua, mobilia et immobilia, presentia et futura, quoadlibet specialiter obligando. Juraverunt eciam coram nobis predicti Matheus et Matildis, ejus uxor, ad sancta..... et spontanei, non coacti, quod ratione dotis, dotalicii, conquestus..... maritaggi impediti, donacionis propter nupcias, partis successione, seu aliqua causa sibi competenti et in posterum competituri contra premissa, vel aliquod premissorum in foro ecclesiastico vel seculari, non venient in futurum nec venire procurabunt, immo omnia premissa fideliter garantizabunt et eciam adimplebunt. In quorum omnium et singulorum testimonium premissorum, ad petitionem predictorum venditorum, sigillum curie Rothomagensis presentibus litteris duximus apponendum.

Datum anno Domini M° CC° LXX° septimo, die martis post octabas Trinitatis.